

non iurare, ad extremum coactus suasionibus plurimorum videtur accommodasse consensum.

§ 62. Meministis illum diem, cum templo a collega occupato.

Q. Metellus Nepos tr. pl., cum plerasque leges per 5 seditionem ferret et praecipue duas: unam, ut absens consul Cn. Pompeius fieret, tempore scilicet Mithridatici belli, quod ab eodem Pompeio gerebatur; et alteram, ut praesidio Italiae veniret adversus arma Catilinae, contradixit ei pleraque nobilitas et ipse vel maxime collega suus Cato, 10 cum tamen C. Caesar praetor Metello tr. pl. adsisteret.

Adiit periculum ob eam causam, quae quanta fuerit, iam mihi dicere non est necesse.

Prudentissime suppressit mentionem legum, quas Metellus de Pompeio tulerat, ne ipsum scilicet offenderet, 15 de quo latae videbantur.

§ 63. Qui superiore anno senatu caruisset.

Consule C. Caesare, cuius actionibus Cato nec adversari destitit volebat nec tamen consentire poterat.

Ut sententia sua condemnata. 20

Ipsae enim Cato tribunus pl. designatus Lentulum et Cethegum et ceteros censuerat capite puniendos.

§ 68. Magno squalore, sed multo etiam maiore maerore.

Distinxit haec verba eleganti proprietate: squalor enim 25 ad habitum vestitus refertur, maeror ad animi angorem. Dicit ergo fratrem suum per omnia lugubrem sustinuisse fortunam.

§ 71. Exierunt duo vulturii paludati.

Direptores provinciarum, Macedoniae scilicet et Syriae, Pisonem Gabiniumque volens pressius ostendere, con- 30 gruentissima hac . . . vulturios nominavit: rapax animal et cruentissimum et ferme cadaverum lacerationibus pastum.